



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCXLIX. ad annum DCLXXVI.

Parisiis, 1644

Praefatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15300

^a Anno Domini 649. &c.] Constat ex initio actorum Concilii, vbi dicitur: hæc Synodus celebrata anno nono Constantis, indictione octaua: quæ tempora cum anno redemptoris nostri Iesu Christi 649. & initio pontificatus sancti Martini coincidunt.

Tempus Concilii.

ANNO CHRISTI 650.

CONCILIVM CABILONENSE,
 CLODOVEI II. REGIS EVOCATIONE
 VIII. Kalendas Nouembres in vrbe Cabilono in baf-
 lica S. Vincentii celebratum, circa annum Christi
 DCL. Martini papæ II. Clodouei eiusdem regis VI.

TITVLI CANONVM.

- | | |
|--|---|
| I. <i>Vt fidei Nicæna norma in omni-
bus conseruetur.</i> | XII. <i>Vt duo abbates in vno mona-
sterio non sint.</i> |
| II. <i>Vt Canonum statuta seruentur.</i> | XIII. <i>Vt nullus alienum clericum
retineat, nec ordinet, sine episco-
pi sui voluntate.</i> |
| III. <i>De clericorum cum extraneis
feminis familiaritate fugienda.</i> | XIV. <i>De oratorijs per villas potent-
tum, vt clerici qui his deseruiunt
in episcopi libera sint potestate.</i> |
| IV. <i>Ne duo in ciuitate vna eodem
tempore habeantur episcopi.</i> | XV. <i>Vt abbates & monachi sacu-
lari patrocinio non vtantur, &
principem sine episcopi sui permis-
su non adeant.</i> |
| V. <i>Vt seculares nondum clerici,
parochias aut earum res non re-
gant.</i> | XVI. <i>Vt nemo ad sacros ordines
per premium promoueat.</i> |
| VI. <i>Nemo ante audientiam res ec-
clesia inuadere presumat.</i> | XVII. <i>Vt nullus secularium in ec-
clesia, vel in ipsius atrio, scandalū
aut simultates excitare presumat.</i> |
| VII. <i>Res defuncti presbyteri, vel
abbatis, intactæ permaneant.</i> | XVIII. <i>Vt die dominico ruralia o-
pera nemo exerceat.</i> |
| VIII. <i>De pœnitentia peccatorum
a sacerdotibus indicenda.</i> | XIX. <i>Ne turpia vel obscœna in ba-
silicis, aut in earum porticibus &
atrijs, cantari permittantur.</i> |
| IX. <i>Ne mancipia Christiana extra
regni terminos vendantur.</i> | XX. <i>De Agapio & Bobone Di-
niensis vrbis episcopis.</i> |
| X. <i>Vt episcopi a comprouinciali-
bus, clero, & ciuibus suis eli-
gantur.</i> | |
| XI. <i>Vt iudices publici per mona-
steria & parochias, nisi inuitati,
non discurrant.</i> | |

PRÆFATIO.

PRISCIS quidem Canonibus noscitur institutum, vt
 metropolitani cum eorum comprouincialibus per
 singulos annos debeant in synodali coniungi Deo propi-
 tiantie Concilio. Sed nunc tam ex communi omnium vo-
 luntate, quam ex euocatione vel ordinatione gloriosissimi

Concil. Tom. 15.

00

domini Clodouei regis, pro zelo religionis, vel orthodoxæ fidei dilectione, in Cabilonensi vrbe in ecclesia sancti Vincentii pariter conglobati, ipsius sancti martyris intercessionem poscentes, vt longauitatem supradicti principis suo suffragio mereremur, & inspiratione diuina interueniente, de Canonibus significaretur, quod si fuisset aliquid pratermissum, vel per negligentiam, aut ignorantiam vitiatum, in pristinum statum, sicut dudum fuerat a sanctis patribus statutum, deberet auxiliante Christo Domino reformari.

ANNO
CHRISTI
650.

C A N O N E S.

I.

Ita omnes vna conspiratione & conniunte animo sentientes definiuimus, vt fidei norma, sicut in Nicæno Concilio pia est professione firmata, vel a sanctis patribus tradita, atque ab ipsis exposita, vel in postmodum a sancto etiam Calchedonensi Concilio firmata, in omnibus & ab omnibus conseruetur.

II.

Canonum vero statuta ab omnibus intemerata seruentur.

III.

Licet iam prioribus Canonibus fuerit statutum, placuit tamen renouare, vt si quis episcopus, presbyter, aut diaconus, vel quicumque ex sacerdotali catalogo, præter personas quæ in ipsis Canonibus continentur, cum qualicumque extranea muliere familiaritatem habere præsumpserit, quæ dedecoris vel adulterii possit afferre suspensionem, iuxta statuta Canonum ab ordine degradetur.

IV.

Vt duo in vna ciuitate penitus vno tempore nec ordinentur, nec habeantur episcopi, ne res ecclesiæ sæua diuisione debeant partiri.